



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnium Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

XXIII. Vt pellibus agnorum vtantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

ad perpetuam requiem venire, & Deum videre non poterit; testante apostolo Paulo: *Pacem sectamini cum omnibus & castimoniam, sine qua nemo videbit Dominum.* Heb. 12. Sed quia huiusmodi indumentum arrogantiae ac superfluitatis aestimatione carere debet, talia habere omnibus iubemus, vt solus leniter per se vestire & exuere, & calceare ac discalceare valeat. Procurator huius ministerii per uigili cura hoc vitare praesumat, ne nimis longa aut nimis curta, sed mensurata ipsis utentibus, secundum vniuscuiusque quantitatem, suis fratribus tribuat. Accipientes itaque noua, vetera semper reddant in praesenti, repouenda in camera, vel ubi frater, cuius est ministerium, decreuerit, propter armigeros & clientes, & quandoque pro pauperibus.

XXI.

Quod famuli vestimenta alba, hoc est pallia, non habeant.

Hoc nempe, quod erat in domo Dei ac suorum militum templi, sine discretionem ac consilio communis capituli, obnixè contradicimus, & funditus quasi quoddam vitium peculiare amputare praecipimus. Habebant enim olim famuli & armigeri alba vestimenta, vnde veniebant damna importabilia. Surrexerunt namque in ultramontanis partibus quidam pseudofratres, coniugati & alii, dicentes se esse de templo, cum sint de mundo. Hi nempe tantas contumelias totque damna militari ordini acquisierunt, & clientes remanentes plurima scandala oriri inde superbiendo fecerunt. Habeant igitur assidue nigra: sed si talia non possint inuenire, habeant qualia inueniri possunt in illa prouincia qua degunt, aut quod vilius vnus coloris comparari potest, videlicet burella.

XXII.

Quod milites remanentes tantum alba habeant.

Nulli ergo concessum est candidas chlamydes deferre, aut alba pallia habere, nisi nominatis militibus Christi.

XXIII.

Vt pellibus agnorum utantur.

Decreuimus communi consilio, vt nullus frater rema-

nens pelles perenniter, aut pelliciam, vel aliquid tale, quod ad vsum corporis pertineat, etiamque coopertorium, nisi agnorum vel arietum, habeat. ANNO CHRISTI 1117.

XXIV.

Vt vetusta armigeris diuidantur.

Procurator vel dator pannorum omni obseruantia veteres semper armigeris & clientibus, & quandoque pauperibus, fideliter æqualiterque erogare intendat.

XXV.

Cupiens optima deteriora habeat.

Si aliquis frater remanens ex debito, aut ex motu superbiæ, pulcra vel optima habere voluerit, ex tali præsumptione procul dubio vilissima merebitur.

XXVI.

Vt quantitas & qualitas vestimentorum seruetur.

Quantitatem secundum corporum magnitudinem largitatemque vestimentorum obseruare oportet: dator pannorum sit in hoc curiosus.

XXVII.

Vt dator pannorum in primis æqualitatem seruet.

Longitudinem, vt superius dictum est, cum æquali mensura, ne vel susurrorum vel * comminatorum aliquid oculus notare præsumat, procurator fraterno intuitu consideret, & in omnibus supradictis Dei retributionem humiliter cogitet. * forte criminatorum

XXVIII.

De superfluitate capillorum.

Omnes fratres, remanentes principaliter, ita tonsos habere capillos oportet, vt regulariter ante & retro, & ordinate, considerare possint; & in barba & in grennionibus eadem regula indeclinabiliter obseruetur, ne superfluitas aut facetiæ vitium denotetur.

XXIX.

De rostris & laqueis.

De rostris & laqueis manifestum est esse gentilitium.

Et